



REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. IOANNI
SCHVVICARDO,
SANCTÆ SEDIS MOGVN-
TIACENSIS METROPOLITANO,
SACRI ROMANI IMPERII PER GERMA-
NIAM ARCHICANCELLARIO

PRINCIPI ELECTORI ET PATRO-
NO BENEMERENTISSIMO.

MULTA de S. Bonifacio, tum veteris,
tum recentis memoria Scriptores eru-
diti, libris, publicisq; litterarum mo-
numentis tradidere; quiq; unus com-
plexus ita sit omnia, ut e segete ad spi-
cilegium, stipulam non reliquerit, inuentum, Illustris-
sime Princeps, puto neminem. Nam siue Sanctorum
Coelitum virtuti oratio par inueniri non potest, siue ob-
litione eorum memoria diu sepulta, & Dei beneficio e
tenebris non raro clariorem in lucem emergit, pracla-
ros quotidie cernimus ingeniorum labores, & amissos
recuperari, & obscuratos, meliore in lumine, ceu ta-
bularum praeclare pietas, ad usum iuxta, ac delectatio-
nem, exponi. In his S. Ludgeri Commentarius, quem,

DEDICATIO.

raro officij studio, laudato pietatis obsequio, de Præceptore suo S. Gregorio Traiectensi, & huius Magistro & educatore S. Bonifacio præco bonus elaboravit, arbitrij fecerim, esse aliorum, an censeri queat. Mihi interim cogitanti, cui hoc nobile par Sacerdotum, quod, S. Ludgeri stylo huc usq; vitam retinuit, honoris causa commendarem, ante primos, in primis occurristi Reuerend^{me} & Illustrissm Princeps Elector; non ut hæc qualiacunq; rudia, forte & inculta, in acceptorum paginam referres, sed, ut à S. Ludgero T. C. oblata, testimonium dicerent, multiplicis beneficentiæ, & liberalitatis iam pridem in Societatem nostram collocatæ. Quo igitur habitu animi nauigantes excipiunt, gemellum sidus turbante mari, hoc velim, Diuos hosce geminos, Illustrissm Septemvir, ad te venientes, hæc parum amica Sanctis tempestate, benigne suscipias. Promitto, sponse S. Ludgero, non oneri, sed ornamento; bono publico quoque ad mores & vitam, utiles gratosq; fore. Fuldae anno MDCXIV. XXIV. August.

Celsitudin. Vestræ
 humillimè deuotus
 Christophorus Brovverus.

SAN-